

premere, sed iis oportere esse contentū, quibus pacē felicissimē tueris; nihil venale pati, quod reip. exitium, tibi inuidiam, contrahentibus infamiā cōciliare possit; sed per omnia præstare, vt quod sorte nascendi tibi obligit, ingentibus meritis datum, & quæ res tota voti erat, à iudicio eligentiū principem profecta videatur. Hæc, SERENISSIME PRINCEPS, qui, vt maxima sunt, ita perpetua fore nos ista virtus sperare iubet, nō mirū est, si gratos tot bonorum æstimatores nactus es, neq; enim iis populis, quibus regendis à Deo impositus es, temerè hic est cōsensus, propria singulorū salute tuā, si res postulet, redimendi, & suorum obiectu corporū eius magnitudinē protegendi, cuius fida tutela vniuersorum securitatem cōtineri intelligunt. adeo tua bonitas non adūbrata cuiusquā læticia, sed verissimis laudibus celebratur: adeo te moderatio, & sapientia vix prima spatia florentissimi istius principatus ingressum ea fælicitate cumularunt, quam omnes optant, pauci merentur, vni virtute præstantes adipiscuntur. Ipse quidem in publica læticia facere non potui, quin obseruantiam in te meam aliquo argumento testatam facerem. nec alio consilio meis hisce in Tacitum obseruationibus nomen tuum inscripsi. Quo genere monimentorum si delectabere; & exiguum hoc munus, ab optimo tamen animo profectum, solita comitate exceperis, me tu quidem non exiguo beneficio deuinxeris, atque ad maiora nitenti & animum, & robur addideris. Parisiis Prid. Id. Maij. M. D. LXX XI.